

Genera Aleocharinorum illustrata.

Auctore

Dr. Gustavo Kraatz, Berolinensi.

Scarabaei, qui Aleocharinorum nomine appellantur, tribum quandam efficiunt numerosissimae Staphylinorum familiae. Quae quidem tribus iis constitit generibus, quae cel. *Gravenhorstius* primus magno proposuit ingenii acumine, postmodum dom. *Man-nerheim* amplificavit, non tamen ita, ut omnes officii partes im-pleret. Etenim, postquam *Erichsonius*, qui huic familiae auctor est illustrissimus, oris structuram examinavit accuratius, genera illa adeo auxit, ut numero essent viginti quinque, qui numerus deinde ab aliis quibusdam auctoribus laud magnopere amplificatus est. Ac mihi quidem, ut fatear ingenue, quum de Staphylinis scriberem, qui in Germania inveniuntur, occasio data est iterum accurateque in ea Aleocharinorum genera omnia, quae *Erich-sonius* constituerat, eo potissimum consilio inquirendi, ut oris partes melius cognoscerem. Quod quum peregissem qua fieri potuit diligentia maxima et multo plura, quam ipsi *Erichsonio* obtigerant, exempla in usum vocassem, satis magna multitudo no-vorum generum necessario constituenda mihi visa est. Atque in hoc negotio ea, quam secutus sum, ratio in describendis Germa-niae Staphylinis quum permitteret, ut genera adhuc cognita di-ligentius considerarem, minus tamen concessit, ut genera ex-otica nondum descripta respicerem, singularumque oris partium imaginem, quae intuentibus est gratissima, exprimerem. Contra in dissertatione mea, quam nunc propono, imagines adduntur; in

quo edendo opusculo hoc maxime consilium secutus sum, ut omnia, quae mihi innotuerunt genera, partim descripta, partim recens a me condita necessarioque condenda, uno in conspectu ponerem. Quae genera ab aliis, quantum satis est, descripta sunt, ea breviter attigi, atque, si forte in observandis oris partibus cum prioris aetatis auctoribus non consentirem, notis quibusdam id indicavi. In illis generibus, quae firmamento nituntur specierum olim descriptarum, de oris partibus exposui accuratius, notas tota corpora scarabacorum illustrantes eas modo addidi, quae ad genera constituenda haud mediocriter valent. Contra si quae condita sunt genera scarabaeorum ad hoc usque tempus nondum descriptorum, eos scarabacos uberius depinxi. In nonnullis generibus, quorum paucae tantum species sunt, formas quasdam, quae extra Europam inveniuntur descripsi propterea, quod hoc absolvendo negotio pro facultatibus meis aliquantum conferre mihi videbar ad excolendam eam doctrinae partem, quae quibus in terris illa inveniantur genera anquiri. Oris partium expressae sunt imagines non in iis modo generibus, quae recens conduntur, verum etiam in iis, quae olim descripta sunt; id quod prorsus mihi visum est necessarium, quoniam additae ab *Erichsonio* imagines interdum minus idoneae sunt. Quum animum in descriptione ad multa alia applicarem, tum singulari studio atque indulgentia inquisivi, quatenam esset naturalis generum inter se cognatio, in qua profliganda laboris parte saepius eo perveni, ut stabilirem sententiam a priorum scriptorum rationibus (systematis) abhorrentem. Id genus, quod vocatur Autalia, non dubito, quin in futurum tempus obtineat merito locum principem inter Aleocharinos, quem huiusque occupavit Myrmedonia, immerito sejuncta a generibus maxime cognatis. Tres illae tribus, in quas divisi Aleocharinos, easdem esse cum iis, quas in opere de insectis Germaniae (p. 24, 25) constitui, notari velim; nec dici potest ad formas exoticas complectendas minus idoneam esse meam dividendi rationem, quoniam tribus secundae et tertiae nova genera quae essent nondum inveni.

Jam vero sub finem prooemii non possum quin profitear, nihil exoptatius mihi futurum esse, quam ut magna illa varietas Aleocharinorum, conspicienda in corporis partibus singulis, cujus, ad os quod pertinet, imaginem exprimendam studiose curavi, quemadmodum illecebris suis mihi non compensavit modo labores

inquirendi haud exiguos, sed stimulum etiam contentionis addidit, ita aliorum excitet studia ad observandum, mihiq[ue] laborum socios adjungat. Nec prorsus defuerunt socii, qui ad opus conficiendum benevole et liberaliter exemplorum, ut ita dicam, materiam subministrarent; *Schaumius* inprimis, *Sachsius*, *Maerke-lius* suis in hoc genere beneficiis obligatum me habent et devinctum.

Sed antequam ad ipsum aggrediar opusculum hoc moneam necesse esse mihi videtur. Quicumque Staphylinis studia sua et curam impendit, huic existimo ad manus esse debere *Erichsonii* opus nobilissimum de Staphylinis. (Genera et Species Staphylinorum. Berol. 1840.); idcirco illud opus saepius unum excitavi in iis speciebus, quas ille descripsit. Deinde hoc velim notent lectores, Staphylinorum abdomen censere me, non septem sed octo segmentis esse compositam. (Vide Naturgesch. d. Ins. Deutschl. II. p. 12.)

A l e o c h a r i n i.

Erichs. Col. March. I. p. 283.

Aleocharides *Mannerh.* Brachelytr.

Stigmata prothoracica conspicua.

Antennae in fronte ad oculorum marginem anteriorem insertae.

Subtribus I. Aleocharini genuini.

Krautz Ins. Deutschl. II. p. 29.

Maxillarum mala interior externe cornea, interne membranea, spinulis seu pilis longioribus ciliata.

Palpi maxillares articulo secundo tertioque modice elongatis, quarto praecedente plerumque tertia parte minore, subulato.

Oculi parum prominuli.

I. *Autalia* *Leach.*

Mannerh. Brachelytr. p. 87.

Observatio: Habitus hujus generis gracilis, minus depressus, qui considerantibus in memoriam rediit Pselaphios, et ligulae, ut in nullo alio hujus

tribus genere, quadrifidae structura efficiunt ut, si Antaliam inter Aleocharinos primo loco posuero, id naturae magis accommodatum esse videatur, quam si, *Erichsonii* exemplum secutus, Myrmedonias familiam ducere jussero.

II. Falagria Leach.

Mannerh. Brachelytr. p. 86.

Obs. Paraglossae prominentes, quibus hoc genus cum praecedente convenit, longitudine in singulis speciebus paulo differunt.

III. Bolitochara Mannerh.

Brachelytr. p. 75.

Obs. Differentiis sexualibus ab *Erichsonio* (Gen. et Spec. Staphyl. p. 58 obs. 5.) memoratis adde: Mares elytris, ad apicem prope suturam plicula longitudinali elevatis, plerumque insignes.

IV. Hoplandria.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis brevioribus ciliata, supra medium spinis duabus longioribus instructa.

Ligula valde elongata, linearis, summo apice bifida, laciniis latere interiore pilis nonnullis breviusculis, apice interdum pilo longiore munitis.

Palpi labiales graciles, distincte 3-articulati, articulo secundo includentibus multo minore.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulis 4 primis aequalibus.

Labrum magnum, apice leviter rotundatum. Mandibulae simplices. Maxillae mala interiore breviuscula, supra medium introrsum fortius oblique emarginata, margine interiore spinulis 5 — 8 breviusculis, supra medium spinulis duobus longioribus, infra medium loba majore membranacea instructo; mala interiore majuscula, apice membranea, portione membranacea densius seriatim pubescente. Palpi maxillares modice elongati, articulo secundo primo paulo longiore, apicem versus paulo incrassato, tertio praecedente plus tertia parte brevior, subulato. Labium mento latitudine paulo brevior, apicem versus angustato, apice leviter emarginato, ligula valde elongata, ad palporum labialium articuli secundi apicem usque porrecta, angusta, apice bifida, laciniis latere interiore pilis nonnullis brevibus, apice in majoribus speciebus pilo longiore extrorsum vergente instructis. Paraglossae longe prominentes, acuminatae, interne longius ciliatae. Palpi la-

biales elongati, triarticulati, articulo primo longissimo, tertio hoc paulo brevior, apicem versus vix incrassato, apice subtruncato, articulo secundo tertio plus dimidio brevior et vix latior.

Antennae capite thoraceque paulo longiores, apicem versus magis minusve incrassatae, articulis tribus primis subelongatis, secundo tertioque obconicis. Caput thorace paulo angustius, basi minus fortiter constrictum, oculis modice prominulis. Thorax coleopteris multo angustior, latitudine brevior, angulis omnibus rotundatis. Elytra thorace paulo longiora, apice truncata, ad angulum anteriorem distincte sinuata, minus crebre distinctius punctata. Abdomen supra planum, subtus convexiusculum, apicem versus angustatum. Pedes modice elongati.

Mares elytris angulo apicali interiore aut exteriori tuberculo elevato, acuminato abdominisque segmento sexto semper, segmentis anterioribus interdum carina longitudinali elevatis insignes.

Victus latet. Patria America borealis et meridionalis.

Ad hoc genus pertinent.

1. *H. (Homalota) terminata* Erichs. Gen. et Spec. Staph. p. 130. 109. Patria Puerto Rico.

2. *H. umbrina*. Picea, subnitida, pube parca minus depressa vestita, antennarum basi pedibusque ferrugineis, thorace transverso, basi medio marginato, elytris minus crebre subtiliter, abdominis segmentis penultimis crebre subtiliter punctatis, anterioribus fere laevigatis. — Long. 2 lin.

Homalota umbrina Mus. Berol.

Habitat in Columbia. Dom. Moritz.

Praecedenti similis et affinis, sed duplo fere major, antennis longioribus, pilosellis facile dignoscenda. Corpus piceum, nitidulum, pube parca praecipue thoracis minus depressa vestitum. Antennae capite thoraceque distincte longiores, piceae, basi ferrugineae, pilosellae, articulis 1 — 3 satis elongatis, quarto sequente paulo longiore, sed non angustiore, 6 — 10 latitudine fere longioribus, ultimo praecedentibus duobus conjunctim longitudine aequali, ovato-acuminato, apice interdum dilutiore. Caput thorace angustius, piceum, parce pubescens. Thorax latitudine duplo fere brevior, coleopteris angustior, antrorsum angustatus, lateribus leviter basi fortius rotundatus et praecipue medio tenuiter marginatus, apice truncatus, angulis omnibus obtusis, posterioribus subrotundatis, anterioribus deflexis, supra parum con-

vexus, minus crebre subtiliter punctatus. Elytra thorace paulo longiora, minus crebre subtiliter punctata. Abdomen apicem versus fortius angustatum, supra anterius fere laevigatum, posterius crebrius punctatum. Pedes ferruginei.

Mas elytris angulo apicali interiore tuberculo elevato, acuminato abdominisque segmento sexto carinato distinctus.

Variat interdum colore corporis dilutiore, ferrugineo.

3. *H. pulchra*. Nigro-picea, nitida, parum pubescens, antennarum basi pedibusque testaceis, thorace et abdomine basi rufo, elytris minus subtiliter rugulose punctatis. — Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in Louisiana, Dom. *Schaum*; in Georgia, Dom. *Gerhard*.

Sequente paulo major minusque depressa, aliter colorata, nigro-picea, nitida. Antennae capite thoraceque vix longiores, fuscae, basi apiceque testaceae, articulis 3 primis gracilioribus, longitudine inter se subaequalibus, 4, 5, 6 latitudine paulo longioribus, 8, 9, 10 leviter transversis, articulo ultimo duobus praecedentibus longitudine aequali. Caput deflexum, rotundatum, thorace angustius, nigro-piceum, sat nitidum, parce subtilissime punctatum. Thorax coleopteris paulo angustior, longitudine plus duplo latior, lateribus et basi leviter rotundatus et marginatus, apice truncatus, angulis anterioribus obtusis, posterioribus rotundatis, supra crebre minus subtiliter punctatus, sanguineus. Elytra thorace dimidio longiora, nigro-picea, humeris interdum rufescentibus, crebre, fortiter rugulose punctata. Abdomen rufum, apice nigrum, apicem versus leviter angustatum, supra laevigatum, segmentis singulis vage punctatis. Pedes testacei.

Mas elytris angulo apicali exteriori dente majusculo, acuminato, abdominis segmento secundo plerumque lateribus in spinam acutam brevioris producto, segmento sexto carinato insignis.

4. *H. ochracea*. Ochracea, subnitida, parce pubescens, capite, elytris circa scutellum angulisque apicis et abdominis segmento quinto fuscis, thorace transverso, profundius punctato, basi medio vix marginato, abdomine supra minus crebre subtiliter punctato. — Long. $1 - 1\frac{1}{4}$ lin.

Habitat in Georgia. Dom. *Gerhard*.

Habitu et statura depressiuscula Gyrophaenis quibusdam haud dissimilis, sed major, parce pubescens. Antennae capite

thoraceque paulo longiores, fuscae, basi dilutiores, articulo secundo tertio paulo longiore, hoc obconico, articulo quarto praecedente vix latiore, quinto hoc distincte crassiore, transverso, 6 — 10 sensim paulo latioribus, ultimo duobus praecedentibus conjunctim longitudine fere aequali, ovato-acuminato. Caput deflexum, thorace angustius, basi vix constrictum, nigro-fuscum, nitidum, parce subtiliter punctatum. Thorax ut in II. terminata constructus, basi medio subtilissime marginatus, minus dense et subtiliter punctatus, rufo-testaceus. Elytra thorace paulo longiora, minus crebre et subtiliter punctata, rufo-testacea, circa scutellum et angulo apicali exteriori fusca. Abdomen apicem versus leviter attenuatum, supra minus crebre subtiliter punctatum, segmento quinto semper, quarto sextoque margine anteriore interdum nigro-fusco. Pedes testacei.

Mas elytris angulo apicali interiore tuberculo elevato, acuminato abdominisque segmento sexto carinato distinctus; segmento tertio interdum medio carinulis duabus minutis instructo.

V. *Phytosus* *Rudd.*

Curtis Brit. Ent. XV. p. 718.

Obs. Ligula a cel. *Erichsonio* haud sine dubitatione brevis et latiuscula descripta re vera elongata, angusta, integra, ad palporum labialium articuli primi apicem usque porrecta est. Propter paraglossas prominentes hoc genus praecedentibus magis quam generi *Aleocharae* affine esse mihi videtur. Specierum synonymiam jam antea (*Stett. Ent. Zeit. XIV. p. 257*) extricavi.

VI. *Peliusa* *Erichs.*

Gen. et Spec. Staphyl. p. 192.

Obs. *Erichson*, ligulae tantum, omnino ut in *Gyrophaenis* constructae, formam considerans, hoc genus *Gyrophaenas* sequi jussit; mihi autem, quum habitus maxillarumque (quae naturalem affinitatem prodit) forma cum *Silusa* rubiginosa conveniat, majore etiam affinitate cum hac conjunctum videtur.

VII. *Silusa* *Erichs.*

Col. March. I. p. 377.

Obs. Instrumenta cibaria haud satis accurate a cel. *Erichsonio* observata, etenim maxillarum mala exterior interiore paulo longior, palporum maxillarium articulus tertius secundo fere longior, quartus huic longitudine fere aequalis est, paraglossae angulos labii excedunt. Palpi labiales valde elongati, minus perspicue quidem, tamen sine dubio biarticulati, articulo secundo apice membranco, subincrassato. Ligula potius elongata nominanda est.

VIII. *Stenusa Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 47.

Maxillae elongatae, angustae, mala interiore cornea, intus apice subserrata.

Ligula elongata, angusta, integra, medio paulo dilatata; paraglossae prominentes.

Palpi labiales biarticulati, articulis valde elongatis.

Mentum apice leviter emarginatum.

Tarsi antici 4-, postici 5-articulati, omnes articulis primis aequalibus.

Labrum et mandibulae ut in genere *Silusa* constructa, hae paulo longiores. Maxillae mala interiore intus apice spinulis brevioribus, medio longioribus quam in genere praecedente instructae; palpi maxillares hic articulo tertio secundo longiore, quarto praecedente dimidio brevior. Labium mento multo minus profunde emarginato, ligula magis elongata, medio paulo dilatata, inde ad apicem magis attenuata. Palpi labiales paulo graciliores quam in genere *Silusa*. Mares abdominis segmento sexto supero carinato insignes. Victus in fungis. Patria Europa, Asia et America borealis.

Ad hoc genus pertinent.

1. *St. (Silusa) rubra* Er. Gen. et Spec. Staph. p. 207. 2. Patria Germania.
2. *St. (Silusa) alternans* Sachse. Stett. Ent. Zeit. XIII. p. 118. Patria America.
3. *St. (Silusa) gracilis* Sachse. Stett. Ent. Zeit. XIII. p. 119. Patria America. (Partibus oris a me ipso haud examinatis, haud indubius hanc speciem affero.)
4. *St. ceylonica*: Rufo-brunnea, antennis basi apiceque pedibusque testaceis, antennis medio, elytris angulo apicali externo late abdomineque ante apicem fusciscentibus, capite thoraceque subopacis creberrime, elytris nitidulis crebre minus subtiliter punctatis. Long. 1 lin.

Specimina plura a Dom. *Nietner* in insula Ceylon prope Colombo sub fructibus putrescentibus lecta.

Species minuta colore et punctatura sat insignis. Antennae capite thoraceque paulo longiores, fusco-brunneae, basi testaceae, articulo tertio includentibus dimidio longiore, articulis 4, 5, 6 latitudine paulo longioribus, 9, 10 paulo brevioribus, 11 duobus praecedentibus longitudine aequali, testaceo. Caput thorace paulo angustius. Thorax coleopteris paulo angustior, latitudine plus duplo

brevior, basin versus fortiter angustatus, lateribus ante medium fortiter, basi leviter rotundatus, apice utrinque sinuatus, angulis anterioribus rectis, posterioribus obtusis, supra medio leviter transversim impressus. Elytra thorace dimidio fere longiora, crebre profundius punctata. Abdomen rufum, segmentis 4 et 5 nigris, supra nitidum, parce punctatum.

Mas abdominis segmento sexto supra carinulis 6 elevato insignis, duobus versus marginem anteriorem, quattuor versus marginem posteriorem una serie positis.

Obs. Habitus hujus generis longe alius quam in genere *Silusa*, statura magis elongata, thorax brevior, punctatura etiam profunda. Ligulae palporumque maxillarium, praecipue autem menti structura consideranti haud permittunt, ut species hujus generis praecedenti subjungat.

IX. *Ocalea Erichs.*

Col. March. I. p. 298.

Non ad hoc genus, sed ad *Aleochara* pertinent:

Ocalea procera Erichs. Gen. et Spec. Staph. 61. 4.

Ocalea spadicea Erichs. Col. March. I. 300. 3.

X. *Stenoglossa Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 55.

Maxillae mala interiore apice intus spinulis ciliata.

Ligula elongata, linearis, apice bifida.

Palpi labiales triarticulati, articulis longitudine inter se aequalibus.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo sequentibus paulo longiore.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae ut in genere *Bolitochara* constructae, palpi maxillares breves, articulo tertio secundo parum longiore, sat valido, articulo quarto praecedente dimidio brevior, subulato. Labium mento fortiter emarginato, angulis anterioribus porrectis, ligula elongata, lineari, ad palporum labialium articuli secundi apicem usque porrecta, apice bifida, laciniis acuminatis, paraglossis haud prominentibus. Palpi labiales 3-articulati, articulo secundo primo vix angustiore et brevior, articulo tertio apice subincrassato.

Mas abdominis segmento sexto dorsali medio carinato insignis. Habitat in fungis. Patria Germania meridionalis.

Ad hoc genus pertinet:

1. *St. (Homalota) semirufa* Erichs. Gen. et Spec. Staph. p. 128. 105.

Obs. Ligula hujus generis fere ut in generibus *Ocalea* et *Bolitochara* constructa, paraglossae autem haud prominentes, palpi maxillares multo breviores et crassiores; habitus etiam longe alius est. Tarsorum structura fere eadem, quae in genere *Ischnoglossa*, quod quidem ligulam parum diversam habet, sed caret mento profundius exciso palporumque maxillarium articulo tertio tumidulo.

XI. *Ischnoglossa* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 57.

Maxillae mala interiore intus spinulis ciliata.

Ligula elongata, linearis, apice bifida.

Palpi labiales breves, triarticulati, articulis longitudine inter se aequalibus.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo sequentibus paulo longiore.

Labrum antice subtruncatum. Mandibulae simplices. Maxillae fere ut in genere *Bolitochara* constructae. Palpi maxillares graciles, articulo tertio secundo longiore, quarto tenui, praecedentis tertia parte fere brevior. Labium ligula elongata, lineari, ad palporum labialium articuli secundi apicem usque porrecta, apice bifida, laciniis acuminatis, praecipue apicem versus. Paraglossae haud prominentes. Palpi labiales triarticulati, articulo secundo primo vix brevior et tenuior, articulo tertio praecedente vix longior sed distincte angustior, cylindrico.

Corpus colore picescente, elytra crebre minus subtiliter punctata, abdomen segmentis anterioribus supra basi transversim subimpressis.

Differentiae sexuales a me non observatae sunt.

Victus sub cortice arborum.

Ad hoc genus pertinent:

1. *I. (Oxytoda) proluxa* Er. Gen. et Spec. Staph. 155. 31. (*Aleochara proluxa* Grav. Micr. 5.)
2. *I. rufopicea* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 59. 2.
3. *I. (Oxytoda) corticina* Er. Gen. et Spec. Staph. 153. 27.

Obs. Ligula elongata, palporum labialium articulis longitudine inter se aequalibus, tarsorumque articulo primo sequentibus vix longior species hujus generis satis ab *Oxytoda* discedunt, ligula minus profunde bifida palpisque

maxillaribus a genere *Thiasophila*, tarsis anticis 4-articulatis a genere *Leptusa*, maxillarum mala interiore spinulis ciliata a genere *Xenomma* discedunt.

XII. *Xenomma* *Wollaston*.

Ins. Mader. p. 543.

Obs. Genus mihi invisum, speciebus tribus in insula Madera a Dom. *Wollaston* lectis compositum, secundum partium cibariorum descriptionem generi *Thiasophila* maxime affine. Dubito, num *Xenomma* formicarum *Woll.* et filiforme *Woll.* re vera eidem generi subjungenda sint, cui *Xenomma* planifrons *Woll.* adscriptum est, quod differentiae in scutelli tarsorumque structura specificis vix adnumerandae sunt.

XIII. *Leptusa* *Kraatz*.

Ins. Deutschl. II. p. 60.

Maxillae mala interiore intus spinulis sensim longioribus ciliata.

Ligula elongata, linearis, integra; paraglossae paulo prominentes.

Palpi labiales triarticulati, articulis longitudine subaequalibus, duobus primis arcte connexis.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo sequentibus longiore.

Instrumentorum cibariorum structura fere eadem, quae in genere *Euryusa*, habitus autem longe alius, tarsi antici 4-articulati. Corpus lineare, thorax angulis posterioribus subrectis, coleoptera in plerisque hoc longiora, in nonnullis etiam breviora, abdomen parallelum, in nonnullis antice subangustatum. Species hujus generis, accuratius haud examinatae, diversis generibus adhuc subjunctae sunt.

Mares abdominis segmento sexto supero carinato insignes.

Victus quantum observavi sub cortice muscivae arborum.

Larvam *Leptusae* analis Dom. *Perris* (*Annales de la soc. ent. de France* sér. III. vol. I. p. 563) descripsit.

Ad hoc genus pertinent:

1. *L. (Oxyptoda) gracilis* Er. Gen. et Spec. Staph. 154. 30.
2. *L. (Oxyptoda) analis* Er. Gen. et Spec. Staph. 154. 29.
3. *L. (Oxyptoda) fumidu* Er. Gen. et Spec. Staph. 156. 33.
4. *L. (Oxyptoda) ruficollis* Er. Gen. et Spec. Staph. 155. 32.
5. *L. cribripennis* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 65.
6. *L. (Sipalia) globulicollis* Muls. et Rey. Opusc. Ent. II. 50. 9.
7. *L. (Sipalia) difformis* Muls. et Rey. Opusc. Ent. II. 46. 7.

8. *L. (Sipalia) piceata* Muls. et Rey. Opusc. Ent. II. 48. 8.
9. *L. (Homalota) myops* Kiesenw. Stett. Ent. Zeit. XI. 219. —
Annal. de la soc. ent. de France sér. II. IX. 410.
10. *L. cuneiformis* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 66. 3.
11. *L. eximia* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 67. 4.

XIV. *Thiasophila* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 69.

Maxillae mala interiore apice intus spinulis ciliata.

Ligula elongata, linearis, apice bifida.

Palpi labiales triarticulati, articulis longitudine inter se aequalibus.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo sequentibus paulo longiore.

Labrum majusculum, longitudine fere duplo latius. Mandibulae simplices. Maxillae mala interiore margine exteriori cornea, interiore membranacea, densius longius pubescente, apice spinulis circiter 6 ciliata. Palpi maxillares breviusculi, validiores, articulo tertio secundo vix longiore, haud incrassato, quarto dimidia praecedentis parte longiore, sensim acuminato. Labium anterius profunde emarginatum, mento paulo emarginato, ligula ultra palporum labialium articuli secundi medium porrecta, ad medium usque fissa, laciniis acuminatis, apicem versus magis attenuatis. Paraglossae haud prominentes. Palpi labiales ut in genere *Ischnoglossa* constructi.

Differentia sexualis mihi non observata.

Victus in nidis formicarum.

Ad hoc genus pertinent:

1. *Th. (Aleochara) angulata* Er. Col. March. I. 360. II. Gen. et Spec. Staph. 175. 35.
2. *Th. (Aleochara) inquilina* Märkel in *German. Zeitschr.* V. 223. 69.

Obs. Jam Dom. Märkel (*German. Zeitschr.* V. p. 224) *Aleocharae inquilinae* palpos labiales triarticulatos esse ideoque verisimiliter hanc speciem cum *Al. angulata* Er. novo generi subjungendam adnotat; neque minus Dom. Schiödt (*German. Zeitschr.* V. p. 474.) *Al. angulatam* a genere *Aleochara* separandam, ob cibarias partes autem generi *Oxypodae* inserendam esse persuasum habet. Cujus in sententiam, structura oris accuratius observata, haud cedendum, sed Dom. Märkel assentiendum esse mihi videtur. — Labio antice profundius, mento distincte emarginato, ligula elongata, palporum labialium articulo secundo tertio non brevior, palporum maxillarium articulo tertio non incrassato, quarto sat elongato, novum hoc genus sat insignitum;

palpis labialibus distincte articulatis cum generibus antecedentibus, labio antice emarginato cum genere *Dinarda* convenit.

XV. *Euryusa Erichs.*

Col. March. 1. p. 371.

Obs. Palpi labiales primo 3-articulati ab *Erichsonio* (Col. March. 1. p. 371) recte descripti sunt, nec biarticulati, quales postea, examine reiterato, (Gen. et Spec. Staph. p. 199) eos cognovit.

Mares plerumque insignes carinula minuta elevata, quae medio abdomine segmenti sexti surgit.

XVI. *Philotermes.*

Maxillae mala interiore intus spinulis sensim longioribus ciliata.

Ligula subelongata, angusta, integra; paraglossae vix prominentes.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo primo secundo brevior et duplo latior.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo sequente paulo longior.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae fere ut in genere *Euryusa* constructae, mala interiore intus dentibus validis instructa, exteriore densius pubescente. Palpi maxillares sat lati et validi, depressi, articulo tertio secundo paulo longior, quarto minuto, subulato, praecedentibus multo angustior. Labium mento transversum, apice leviter emarginato, ligula angusta, integra, anterieus rotundata, longitudine palporum labialium articulo primo fere aequali. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo primo secundo paulo brevior et duplo latior, articulo tertio praecedente paulo longior et angustior, apice truncato.

Corpus oblongum, latiusculum, supra depressum, crebre subtilissime pubescens pilisque raris erectis longioribus instructum. Caput majusculum, deflexum, basi rotundatum et leviter angustatum. Antennae crassae, articulo primo latiusculo, articulo secundo hoc tenuiore sed vix brevior, articulis 3 — 10 transversis, ultimo majore, ovato-acuminato. Thorax coleoptera latitudine excedens eaque plus duplo brevior, antrorsum haud angustatus, angulis omnibus obtusis. Scutellum transversim triangulare. Elytra apice subsinuata, ad angulum exteriorem vix emarginata. Abdomen

apice parum attenuatum, supra planum, subtus convexiusculum. Pedes breviusculi.

Mares abdominis segmento septimo infero magis producto insignes.

Victus in nidis termitum. Patria America.

Obs. Habitus corporis omnino idem, qui *Euryusae sinuatae*; antennis autem crassioribus et corpore pilis raris longioribus erectis instructo obiter intuentibus facile hoc genus dignoscitur. Palporum labialium articulus primus in genere *Euryusa* latitudine secundo aequalis, in nostro duplo latior.

Fungitur, ut videtur, hoc genus *Euryusarum* vice in nidis termitum.

Species adhuc cognitae sunt:

1. *Ph. pilosus*: Testaceus, nitidus, fere laevigatus, pube tenuissima fulvescente et pilis raris erectis instructus, antennis ante medium latissimis, thorace coleopteris latiore et paula brevior, abdomine glabrato. — Long. $1\frac{1}{3}$ lin.

Habitat in regione Tenesse. Specimina duo, a Dom. *Fuchs* in nidis termitum lecta, benevole Dom. *Märkel* communicavit.

Habitus et statura majorum *Euryusae sinuatae* speciminum, corpus nitidum, fere laevigatum, pube tenuissima depressa flavescente pilisque raris longioribus erectis vestitum. Antennae capite thoraceque paulo longiores, flavae, articulo primo crassiusculo, secundo hoc parum brevior et tenuior, tertio praecedente latiore, sequente paulo angustior, articulis 4 — 10 fortiter transversis, 7 — 10 latitudine sensim decrescentibus, articulo ultimo ovato-acuminato. Caput latiusculum, glabrum. Thorax coleopteris latior, latitudine plus duplo brevior, antrorsum neque angustatus, neque basi emarginatus, lateribus praecipue antice, angulis anterioribus leviter, posterioribus fortiter rotundatis, supra parum convexus, disco glaber, lateribus subtilissime punctulatus et pubescens, pilis raris erectis vestitus, marginibus lateralibus densius longe pilosellis. Elytra thorace paulo longiora, subglabra, pube tenuissima pilisque raris instructa. Abdomen supra glabrum, lateribus pilosum, apicem versus leviter attenuatum, segmento sexto supero apice leviter emarginato. Pedes testacei.

Mas abdominis segmento septimo infero longius producto insignis.

2. *Ph. pensylvanicus*: Brunneus, nitidulus, densius subtilissime pubescens, antennis pedibusque testaceis, thorace medio coleopteris longitudine latitudineque aequali, abdomine laevigato. — Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in Pensylvania, Dom. *Schaum*.

Magnitudo praecedentis, color et summa affinitas sequentis, brunneus, antennis pedibusque testaceis. Antennae ut in Th. *Fuchsii* constructae. Caput creberrime subtilissime punctulatum. Thoracis forma ut in Th. *Fuchsii*, sed pilae erectae desunt, pubescentia tenuissima angulis anterioribus longior. Elytra thorace minus dense subtilissime punctulata, magis nitida. Abdomen brunneum, ante apicem piceum, apice testaceum, supra totum laevigatum.

Differentia sexus eadem ut in sequente.

3. *Ph. Fuchsii*: Fusco-testaceus, nitidulus, densius subtilissime pubescens, parce pilosus, thorace medio coleopteris longitudine latitudineque aequali, abdomine apice punctulato. — Long. 1. lin.

Habitat in regione Tenesse, Dom. *Märkel*.

Praecedenti simillimus sed dimidio minor, angustior, fusco-testaceus, nitidulus, densius pubescens. Antennae capite thoraceque longiores, testaceae, articulo primo crassiusculo, secundo hoc multo brevior et tenuior, tertio praecedente brevior sequente parum angustior, articulis 4 — 10 latitudine inter se aequalibus, leviter transversis, articulo ultimo majore, ovato-acuminato. Caput magnum, thorace paulo angustius, minus crebre subtilissime punctulatum. Thorax magnus, coleopteris vix latior sed medio fere longior, antrorsum laud angustatus, basi fortiter, lateribus leviter rotundatus, apice truncatus, angulis omnibus rotundatis, supra parum convexus, creberrime punctulatus, subtilissime angulis anterioribus longius pubescens, pilis raris erectis nigris vestitus. Coleoptera minus crebre subtiliter punctata, paulo longius pubescentia. Abdomen nitidulum, segmento septimo supra crebre punctato. Pedes testacei.

Mas abdominis segmento septimo supero apice medio leviter emarginato, infero longius producto.

XVII. *Homocusa Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 76.

Maxillae mala interiore intus summo apice spinulis 6 longioribus ciliata.

Ligula brevis, integra.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo paulo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae mala exteriore simplice, interiore margine exteriore cornea, intus membranea, densius longe pubescente, summo apice spinulis circiter 6, versus medium spinulis nonnullis raris ciliata. Palpi maxillares modice elongati, articulo tertio secundo longiore, vix incrassato, quarto praecedente dimidio brevior, subulato. Labium mento apice leviter emarginato, ligula integra, breviuscula, dimidio fere brevior quam in genere *Euryusa*, paraglossae haud prominentes. Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo secundo includentibus paulo brevior, articulo tertio cylindrico, apice truncato.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in formicetis. Patria Germania.

Ad hoc genus pertinet:

1. II. (*Euryusa*) *acuminata* Maerkel. Stett. Ent. Zeit. III. 143. 5.

Obs. Tarsis anticis 5-articulatis, ligula brevior, palpis labialibus distincte articulatis satis hoc genus ab *Euryusa* genere distinctum.

XVIII. *Haploglossa Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 78.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis longioribus ciliata.

Ligula brevissima, integra.

Palpi labiales distincte triarticulati, longitudine inter se subaequalibus.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum breve, longitudine triplo latius. Mandibulae breves, validiusculae. Maxillae mala exteriore simplice, interiore margine exteriore cornea, intus membranea, densius longe pubescente, apice spinulis circiter 8 longioribus, leviter incurvatis ciliata. Palpi maxillares breves, validi, articulo tertio secundo paulo

longiore et latiore, quarto praecedente dimidio brevior, subconico-acuto. Labium mento apice leviter emarginato, ligula brevi, integra, latitudine parum longiore, apice leviter rotundata. Paraglossae haud prominentes. Palpi labiales distincte triarticulati, articulis longitudine inter se subaequalibus, secundo includentibus parum brevior.

Mares abdominis segmento sexto supero distinctius punctato, interdum subgranulato insignes.

Species hujus generis hospitantur saepius in formicetis.

Ad hoc genus pertinent:

1. *H. (Aleochara) gentilis* Lüneman, in *German. Zeitschr.* V. p. 232. 66.
2. *H. (Aleochara) pulla* Gyll. *Ins. Suec.* IV. 494.
3. *H. rufipennis* Kraatz. *Ins. Deutschl.* II. 81. 3.
4. *H. (Aleochara) praetexta* Erichs. *Col. March.* I. 361. 12.

Obs. Ligula hujus generis integra quidem sed multo brevior quam in genere *Euryusa*, palpi labiales distincte articulati. Species adhuc cognitae habitu *Aleocharas* simulant.

XIX. *Aleochara* Grav.

Mannerh. Brachelytr. p. 66.

Ceranota Stephens. *Manual* p. 351. DXCIX.

Hoplónotus Schmidt-Göbel. *Stett. Ent. Zeit.* VII. p. 245.

Obs. Palpos labiales 4-articulatos huic generi esse peculiare, jam a cel. *Erichsonio* observatum, palpos maxillares 5-articulatos esse eum ceterosque observatores praeteriit; articulus quintus parvus quidem, sed sat distinctus, corneus est.

Praeter alia genera ab aliis autoribus huic generi subserta, fere indubie subjungendum est: *Ceranota Daltoni* Steph. (*Manual* p. 369. 2906.)

Aleochara ruficornis Grav. (*Hoplónotus laminatus* Schmidt-Göbel, teste Märkel *Stett. Ent. Zeit.* VII. p. 300) recte huic generi adscripta; palpi labiales enim accuratius a me examinati haud triarticulati, quemadmodum assertit Schmidt-Göbel, sed distincte 4-articulati, palpi maxillares 5-articulati sunt. Generum *Haploglossa* et *Thiasophila* species, adhuc pro *Aleocharis* habitae, oris structura longe alia discedunt. Accedunt contra, ut jam antea commemoravi: *Ocalea procera* Er. et *spadicea* Er. Novo generi verisimiliter adnumeranda est: *Aleoch. loricata* Erichs. *Gen. et Spec. Staphyl.* 918. 3—4.

XX. *Oxysoma*.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis tenuibus ciliata, infra pubescente, mala exteriora majuscula, longius pubescente.

Palpi maxillares 5-articulati.

Ligula brevis, bifida; paraglossae vix prominentes.

Palpi labiales subquadriarticulati, articulis sensim minoribus.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum transversum, apice truncatum. Mandibulae simplices. Maxillae mala exteriore cornea, portione membranacea apicali dense longius pubescente, mala interiori membranacea, margine exteriore corneo, apice introrsum oblique truncata, sinu spinulis tenuioribus, modice elongatis ciliata, infra parce subtiliter pubescente. Palpi maxillares articulo secundo tertio brevior, quarto majusculo, secundo parum brevior, basi latior, sensim acuminato, quinto minimo, acuto. Labium et palpi labiales ut in genere *Aleochara*, his articulo quarto minus distincte juncto.

Corpus latum, alatum. Caput parvum, deflexum, subinsertum, oculis mediocribus, vix prominulis. Antennae breves, crassae, apicem versus incrassatae, articulo secundo primo paulo brevior et angustior, articulo tertio praecedente vix longior, sequente vix angustior, articulis 4—10 arcte coactis, sensim latoribus, ultimis modice transversis, articulo ultimo elongato, acuminato, praecedentibus tribus conjunctim longitudine fere aequali. Thorax transversus, basi coleopteris latitudine subaequalis, antrorsum angustatus, apice truncatus, basi bisinuatus, angulis obtusis, supra parum convexus. Scutellum parvum, triangulare. Elytra thorace paulo breviora, apice truncata, ad angulum exteriorem vix emarginata. Abdomen apicem versus fortiter angustatum. Pedes elongati, tarsi postici articulo primo sequentibus tribus fere longior.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in societate formicarum. Patria Aegyptus.

Obs. Genus habitu magis, *Hypocyrtos* in memoriam redigente, quam oris partibus, ab *Aleocharis* parum diversis, insignitum; maxillarum mala interior intus apice tantum spinulis ciliata et infra parcius pubescens, mala exterior longius pilosa, ceterae partes fere omnino ut in genere *Aleochara*. Antennarum forma palporumque maxillarium articulus tertius fere cylindricus, quartus majusculus affinitatem cum genere *Dinarda* docent.

Ad hoc genus pertinet:

1. *O. Schaumii*: Nigro-picea, lata, elytris prope suturam anoque rufopiceis, antennis basi apiceque pedibusque ferrugineis, thorace antrorsum angusto, coleopteris paulo longior, abdomine fortiter acuminato. Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in Aegypto; specimina duo legit Dom. Dr. *Schaum* sub lapide in societate formicarum.

Caput, thorax et elytra crebre subtilissime punctulata et pubescentia. Thorax angulis anterioribus fortiter, posterioribus leviter obtusis, subrotundatis. Abdomen anterius crebre subtiliter, posterius minus crebre et fortius punctatum. Pedes ferruginei.

XXI. *Dinarda Leach.*

Mannerh. Brachelytr. p. 65.

Obs. Maxillarum mala exterior natura longior, quam eam in opere *Erichsonii* (Gen. et Species Staphyl. tab. III. f. 24) depictam vides.

Dom. *Redtenbacher* recte in litteris adnotat, tarsos anticos esse 5-articulatos, haud 4-articulatos, quemadmodum, *Erichsonio* fidem tribuens adhuc attuli.

XXII. *Lomechusa Grav.*

Monograph. p. 178.

Maxillae mala interiore unco simplice terminatae.

Ligula brevis, lata, apice subsinuata.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo primo duobus sequentibus longitudine aequali.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato. Tibiae apice leviter attenuatae.

Antennae articulis 4—10 cyathiformibus.

Obs. *Lomechusa dentata Grav.* ex hoc genere nota a dom. *Mannerheim*, species quae supersunt ipso primo intuitu affines videntur, ut in duas genera dissolvere, naturae parum convenire putes. Attamen, si accuratius eas examinaveris, levioribus tantum notis congruentes cognoscēs; nam non solum cibiarum partium, sed antennarum pedumque etiam structura longe alia est in specie majore quam in duobus minoribus, quibus, ne inutile synonymiam augeam, nomen *Atemeles Dillwyn* (*Stephens Illustr. V. p. 107*) conservavi, quamquam hoc genus ab autore ipso non idoneis rationibus conditum est.

Genus *Lomechusa* differt a sequente labro minus transverso, apice leviter rotundato, maxillarum mala interiore unco simplice terminata, mento apice profundius emarginato, ligula latiore, apice vix emarginata, palporum labialium articulo primo apice tumidulo, longitudine duobus sequentibus conjunctim aequali, tertio praecedente multo longiore, cylindrico, antennarum articulis 4—10 cyathiformibus, pedibus crassioribus, tibiis apice attenuatis.

XXIII. *Atemeles Dillwyn.*

Stephens Illustr. V. p. 107.

Goniodes Kirby. Stephens Catal. 260. Nr. 2593.

Lomechusa Grar. Mon. p. 178 (ex parte).

Maxillae mala interiore unco triplice terminata.

Ligula brevis, lata, apice sinuata.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulis sensim minoribus.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum transversum, apice truncatum, longitudine plus duplo latius. Mandibulae simplices. Maxillae malis brevioribus, mala exteriore cornea, apice membranea pubescenteque, interiore apice unco trispino introrsum spectante, malam terminante instructa, margine interiore densius longius pubescente. Palpi maxillares validi, breviusculi, articulo tertio secundo multo angustiore, quarto praecedente plus dimidio brevior, subulato. Labium mento apice leviter emarginato, ligula brevi, sat lata, apice leviter emarginata, Paraglossae parum conspicuae, haud prominentes. Palpi labiales distincte triarticulati, articulis longitudine inter se fere aequalibus.

Ad hoc genus pertinent:

1. *A. (Lomechusa) paradoxus Grar. Mon. 180. 3. et var. major?*
2. *A. (Lomechusa) inflatus Zett. Faun. Lappon. I. 95. 1.*
3. *A. (Staphylius) emarginatus Payk. Mon. Staphyl. 56. 40. et var.?*
4. *A. nigricollis Kraatz. Ins. Deutschl. II. 117.*

XXIV. *Corotoca Schiödte.*

Proced. of the zool. soc. of London 1853. p. 101. 599.

Obs. Genus valde singulare, viviparum, oris structura praecedenti affine, abdomine membranaceo, fracto, parte posteriore fixa, maxima, globosa, dorso anteriori superposita praecipue insigne, cum genere subsequente in Brasilia in nidis Termitum a Dom. Reinhardt detectum et a Dom. Schiödte primum loco citato, tum in opusculo ita inscripto: *Corotoca et Spirachtha: Staphylini, som fode levende Unger, og ere Housdyr hos en Termit. Ved J. C. Schiödte. Kjöbenhavn 1854, accuratissime descriptum tabulaeque I illustratum.*

XXV. *Spirachtha Schiödte.*

Proced. of the zool. soc. of London 1853. p. 101. 599.

Obs. Genus una cum praecedente in operibus supra citatis descriptum nec minus mirabile.

XXVI. *Porus Hope.*

Royle, Illustr. of the Himalayan Mountains. Zool. t. 9. f. 10.

Maxillae mala interiore intus undique pubescente.

Ligula sat brevis, bifida; paraglossae labii angulos anteriores valde productos haud excedentes.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo primo duobus sequentibus conjunctim fere aequali, apice parum incrassato.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae mala exteriore elongata, interiore membranacea, margine exteriore corneo, intus undique densius pubescente. Palpi maxillares fere ut in genere *Myrmedonia* constructi, articulo quarto etiam minore, subulato. Labium mento transversum, leviter emarginatum, angulis anterioribus valde productis, ligulam longe superantibus, trans palporum labialium articuli primi medium porrectis, latere inferiore pilis raris munitis, paraglossis distinctis, angulos labii haud excedentibus. Ligula brevis, bifida, ad medium usque fissa, paulo supra palporum labialium articuli primi basin porrecta. Palpi labiales graciles, distincte triarticulati, articulo primo duobus sequentibus conjunctim longitudine fere aequali, apicem versus subincrassato, articulo tertio praecedente paulo breviori et multo angustiore, apice subtruncato.

Corpus elongatum, lineare, nitidum, parcius punctatum et pilosum. Caput thorace vix angustius, subporrectum, basi haud constrictum, oculis mediocribus, vix prominulis. Antennae breves, crassae, articulo primo elongato, secundo minuto, tertio hoc dimidio longiore et latiore, articulis 3—10 fortiter transversis, 4—6 sensim latioribus, 6—10 latitudine inter se aequalibus, articulo ultimo conico. Thorax coleopteris parum angustior, longitudine vix dimidio latior, lateribus subrectis, antice leviter emarginatus, angulis posterioribus rotundatis. Scutellum triangulare. Elytra apice oblique introrsum truncata. Abdomen parallelum, supra planum, subtus convexiusculum. Pedes sat breves, intermedii basi haud distantes, tibiis extus uniseriatim spinulosis, spinis apicalibus fortioribus munitis, farsis setulosis.

Mas abdominis segmento sexto septimoque distinctius granulatis insignis videtur.

Victus verisimiliter in nidis termitum. Patria: Nepalia, Cordofan.

Ad hoc genus pertinent:

1. *P. ochraceus* Hope in Royle Himalaja. Zool. t. 9. f. 10. — *Myrmedonia ochracea* Erichs. Gen. et Spec. Staphyl. 43. 18.
2. *P. ferrugineus*: Ferrugineus, nitidus, clytris parcius punctatis. Long. $3\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in Cordofan, Dom. Grohman. (Mus. Berol.), in Sudan (Comes Schlieffen).

Praecedenti simillimus et valde affinis, differt tantum statura majore, corpore ferrugineo, clytris minus crebre et profunde punctatis.

Obs. Oris hujus generis structura omnino eadem est, quae in Myrmedoniis, teste *Erichsonio* (Gen. et Spec. Staphyl. p. 36); cujus tamen sententiae, duorum speciminum oris partibus accuratius examinatis, assentire non possum; etenim maxillae in utroque genere similiter structae sunt, sed palporum labialium labiique anterioris structura longe alia est in genere Poro, quod ipso capite haud constricto, antennis crassis pedibusque brevibus, spinulosis facile a Myrmedoniis distinguitur. Oris structura et a Dom. *Westwood* (in opere *Roylii* supra citato), et a Dom. *Erichson* (loco citato) et a me aliter cognita digna mihi visa est, quae hoc etiam loco accurate describatur.

XXVII. *Myrmedonia* Erichs.

Col. March. I. p. 286.

Obs. Maxillarum mala interior, ut in genere *Atemele*, apice unco triplice terminata, cui sine dubio etiam *Myrmedoniae* affines sunt, quamvis malae interiores longitudine valde differant.

XXVIII. *Apteranillus* Fairmaire.

Stett. Ent. Zeit. XV. p. 73. t. I. f. 8.

Genus, omnibus fere majoris momenti characteribus cum *Myrmedonia* canaliculata ejusque affinibus congruens, sed oculi desunt. Speciei unicae, *Apt. Dohrnii*, patria est Tanger.

XXIX. *Dasyglossa* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 130.

Mandibulae apice bifidae.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis paucis, longioribus ciliata.

Ligula brevis, profunde bifida, laciniis parce setulosis.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo valde elongato.

Labrum longitudine duplo latius, apice fere truncatum, angulis anterioribus rotundatis. Mandibulae apice bifidae, dente posteriore paulo longiore. Maxillae mala exteriori simplice, interiori membraneo, margine exteriori corneo, intus dense longius pubescente, apice spinulis paucis, confertim positae ciliata. Palpi maxillares modice elongati, articulo tertio secundo longiore sed vix latiore, apicem versus parum incrassato, quarto praecedente plus dimidio brevior.

Labium apice emarginatum, mento apice leviter emarginato, ligula brevi, ad palporum labialium articuli primi apicem fere porrecta, ad basin usque fissae, laciniis apice setis nonnullis brevibus instructis. Paraglossae haud prominentes. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo primo plus dimidio, tertio hoc parum brevior, cylindrico.

Mas abdominis segmento ventrali septimo magis producto insignis.

Victus in uvidis. Patria Germania.

Ad hoc genus pertinet:

1. *D. (Oxyroda) prospera* Ericks. Gen. et Spec. Staph. 143. 3.

Obs. Mandibularum structura hoc genus ab omnibus aliis sat distinctum; in genere Schistoglossa mandibulae multo breviores, apice minus profunde bifidae, maxillarum mala interior intus parum pubescens, dentibus majoribus et numerosioribus munita. Habitu Dasyglossa Aleocharum, corpore pruinoso Oxypodam simulat.

XXX. Hygropora Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 132.

Mandibulae breves.

Maxillae mala interiori intus summo apice spinulis longioribus (circiter 8) ciliata.

Ligula brevis, bifida, laciniis apice tuberculo minuto instructis.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum latitudine fere duplo latius, simplex. Mandibulae breviusculae, apice obtusiusculae. Maxillae breves, mala exteriore simplice, mala interiore membranea, margine exteriore corneo, interiore apice spinulis circiter 8, modice elongatis, parum incurvatis, confertim positae ciliata, infra pubescente. Palpi maxillares breviusculi, articulo tertio secundo crassiore et paulo longiore, quarto praecedentis tertia parte fere brevior. Labrum mento apice leviter emarginato, ligula brevi, ad palporum labialium articuli primi apicem vix porrecta, ad medium usque fissa, laciniis apice tuberculo minuto instructis. Paraglossae haud prominentes. Palpi labiales distincte triarticulati, validiusculi, articulo secundo primo vix dimidio, tertio hoc parum brevior, cylindrico.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in silvis sub foliis deciduis. Patria Germania.

Ad hoc genus pertinet:

1. II. (*Oxyroda*) *cunctans* Erichs. Col. March. I. 349. 12.

Obs. Mandibulis brevioribus, malis dentibus ad apicem confertim ciliatis ligulaeque structura facile hoc genus ab *Oxyrodas* distinguitur; habitus etiam alius quam in illo genere, *Myllaenas* magis in memoriam revocans, thorax brevior et minus amplus, abdomen distinctius minus confertim punctatum quam in *Oxyrodas* similibus.

XXXI. *Ilyobates* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 133.

Maxillae mala interiore intus summo apice spinulis 12 longioribus, confertim positae ciliatae.

Ligula brevis, bifida.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum longitudine fere duplo latius. Mandibulae simplices. Maxillae mala interiore membranea, margine exteriore corneo, interiore apice spinulis minime 12, parum incurvatis, confertim positae ciliatae, infra pubescens. Palpi maxillares paulo longiores quam in genere *Calodera*, articulo quarto tertia parte praecedentis haud brevior. Labium antice haud emarginatum, ligula paulo graciliore et longiore quam in genere *Calodera*, profundius bifida. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo includentibus paulo brevior.

Differentia sexus mihi non observata.

Corpore haud pruinoso, punctatura thoracis minus densa, elytrorum profundiore, abdominis fere nulla, antennis sat validis, segmentis dorsalibus basi profundius transversim impressis species hujus generis facillime a *Caloderis* distinguuntur.

Victus in uvidis. Patria Europa.

Ad hoc genus pertinent:

1. *I. (Calodera) Mech Baudi*. Stud. Entom. I. p. 115. — *Calodera sulcicollis Aubé*. Annal. de la soc. ent. de France sér. II. VIII. 302. 4.
2. *I. (Staphylinus) nigricollis Payk.* Faun. Suec. III. 400. 42. *Calodera nigricollis Erichs.* Col. March. I. 302. 1.
3. *I. rufus Kraatz*. Ins. Deutschl. II. 135. (*Calodera propinqua Aubé*. Annal. de la soc. ent. de France sér. II. VIII. 302. 3. ?)
4. *I. (Calodera) forticornis Boisd. et Lac.* Faun. Ent. Paris. I. 543. 4.
5. *I. (Calodera) picinus Aubé*. Annal. de la soc. ent. de France sér. II. VIII. 303. 6.
6. *I. (Calodera) atricollis Aubé*. Annal. de la soc. ent. de France sér. II. VIII. 303. 5. (forte.)

Obs. Maxillarum mala interiore spinulis minimum 12, et labio antice haud emarginato hoc genus, partibus oris consideratis, facile a *Caloderis* distinguitur.

XXXII. *Callicerus Grav.*

Mon. Coleopt. Micropt. p. 66. 1.

Callicerus Curtis Brit. Ent. X. t. 443.

Semiris Heer Faun. Col. Helv. I. p. 342.

Maxillae mala interiore intus summo apice spinulis 6 ciliata.

Palpi maxillares articulo tertio tumidulo.

Ligula brevis, bifida.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo tertioque longitudine subaequalibus.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo paulo longiore.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae fere ut in genere *Calodera* constructae, mala interiore apice spinulis circiter 6 confertim positae ciliata, infra dense longius pubescente. Palpi maxillares articulo tertio tumidulo, ovato, articulo quarto minuto, subulato. Labium mento apice leviter emarginato, ligula brevi lataque, haud ad palporum labialium articuli primi apicem usque porrecta, ad medium usque fissa. Paraglossae haud pro-

minentes. Palpi labiales brevi, validiusculi, distincte triarticulati, articulo primo duobus sequentibus conjunctim vix brevior, articulo tertio subsubulato.

Articuli ultimi duo conjuncte in mare *C. obscuri* tertiae, in femina quartae fere antennarum parti aequales.

Victus in uvidis.

Ad hoc genus pertinent:

1. *C. obscurus* Grav. Micr. 66. 1. — Mon. 153. 17 (*Alcochara*).
 ♂ *Callicerus Spencei* Curtis. Brit. Ent. X. t. 443.
 ♀ *Callicerus hybridus* Curtis. Brit. Ent. X. t. 443.
Homalota callicera Erichs. Col. March. 1. 319. 7.
2. *C. (Homalota) rigidicornis* Erichs. Gen. et Spec. 82. 3.
Semiris fusca Heer. Faun. Col. Helv. 1. 342.

Obs. Genus *Callicerus* a cel. *Gravenhorst* propositum, deinde ab eodem auctore secundum *Erichsonium* haud inepte deletum, a Dom. *Curtis* observatum, a cel. *Erichson* generi *Homalotae* subjunctum est; cujus exemplum sequi nequeo. Nam non solum antennae validiores, quam in ceteris omnibus generis *Homalotae* speciebus (*rigidicorni* *Er.* excepta) et habitus alius, *Caloderas* in memoriam revocans, sed etiam cibiarum partium, a nullo antea, ut videtur, accuratius examinarum structura minime cum *Homalotis* congruit; ligula enim brevior et latior, palpi labiales breviores, maxillarum mala interior apice spinulis confertim positis ciliata, palpi maxillares articulo tertio tumidulo etc. Eandem cibiarum partium structuram inveni in genere *Semiri*, a Dom. *Heer* (Fauna helv. 1. c.) condito, quod quidem antennis validas habitumque haud dissimilem habet, quare hoc insectum, a Dom. *Erichson* sub genere *Homalota* (*rigidicornis* Gen. et Spec. Staphyl. 82. 3.) descriptum, generi *Callicero* potius subjungendum esse putavi. „

XXXIII. *Calodera Mannerh.*

Brachelytr. p. 85.

Maxillae mala interiore intus summo apice spinulis 6 longioribus, confertim positis munita.

Ligula brevis, bifida; labium antice emarginatum.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo secundo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Obs. A generibus *Ilyobates* et *Callicerus* *Caloderae* genuini distinguuntur: maxillarum mala interiore intus apice spinulis circiter 6 longioribus confertim nonnullisque aliis singulatim positis instructis, labio angulis anterioribus productis ligulaque distincte brevior; externe: corpore plerumque pruinoso, nigricante, antennarum articulis 6 penultimis transversis et abdomine densius subtiliter punctato.

XXXIV. *Chilopora Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 146.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis longioribus ciliata.

Ligula brevis, bifida, laciniis acuminatis.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo brevior.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum transversum. Mandibulae simplices. Maxillae fere ut in genere *Homalota* instructae, mala exteriori simplice, interiore margine interiore apice spinulis nonnullis longioribus, minus confertim positae instructa, infra minus dense et subtiliter pubescente. Palpi maxillares graciles, articulo tertio secundo longiore, quarto praecedentis tertia parte haud longiore, subulato. Labium antice haud emarginatum, mento apice leviter emarginato, ligula distincte longiore quam in genere *Calodera*, palporum labialium articuli primi apicem fere superante, vix ad medium usque fissa, laciniis acuminatis. Palpi labiales graciles, distincte triarticulati, articulo secundo includentibus brevior, articulo tertio cylindrico, fere truncato.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in ripis, ubi species mihi cognitae in arena humida riparia summa agilitate circumvagantur. Patria Europa.

Ad hoc genus pertinent:

1. *Ch. (Calodera) longitarsis* Erichs. Col. March. I. 698. 3. a.
2. *Ch. (Tachyusa) rubicunda* Erichs. Col. March. I. 309. 4., 689. 4.
3. *Ch. cingulata* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 148. 3.

Obs. Species hujus generis, a cel. *Erichson* cum *Caloderis* conjunctae, nisi pedum structura cum his non conveniunt, habitu enim antennarumque structura adeo *Tachyusas* nonnullas simulant, ut ille ipse *Ch. rubicundam* in *Coleopteris Marchicis* huic generi adscripserit, quamquam tarsos anticos 5-articulatos habet. Antennis gracilibus *Chiloporae* primo obtutu a generibus *Calodera* et *Ilyobates* distinguuntur; caput basi constrictum, abdomen confertissime acque subtiliter ac reliquum corpus punctatum, speciebus adhuc cognitae communia sunt.

XXXV. *Tachyusa Erichs.*

Col. March. I. p. 307.

Obs. Ad hoc genus pertinent:

1. *Homalota concolor* Erichs. Gen. et Spec. Staphyl. 126. 100.
(*Tachyusa lata* Kiesenw. Stett. Ent. Zeit. V. 315). Vide Kraatz,
Stett. Ent. Zeit. XIII. p. 447.
2. *Myrmedonia pygmaea* Sachse. Stett. Ent. Zeit. XIII. p. 115.
Patria: Dalmatia.

XXXVI. *Ocyusa* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 156.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis ciliata.

Ligula brevis, apice bifida, laciniis acuminatis.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo primo longiore,
duobus sequentibus longitudine aequali.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum, mandibulae et maxillae fere ut in genere *Tachyusa* constructa, ligula magis cum *Oxypoda* conveniens, apice fissa, laciniis acuminatis. Palpi labiales fere graciliores quam in genere *Tachyusa*, distincte triarticulati, articulo primo duobus sequentibus conjunctim longitudine aequali, articulo secundo tertio brevior.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in uvidis. Patria Germania.

Ad hoc genus pertinent:

1. *O. (Oxypoda) maura* Erichs. Col. March. I. 352. 18.
2. *O. ruficornis* Kraatz. Ins. Deutschl. II. 158. 2.

Obs. Habitu hoc genus maxime cum *Tachyusa*, tarsorum structura cum *Oxypodis* convenit, quibus *O. maura* ab *Erichsonio* non minus inepte subjuncta est, quam ceterae secundae ejus sectionis species. Caput *Ocyusis* neque insertum, neque thorax amplior quemadmodum in *Oxypodis* est, antenarum etiam structura alia, articulis 3—5 latitudine inter se aequalibus, 6—10 sensim latioribus, ultimo sat magno, abdomen segmentis basi transversim impressis insigne. Oris partibus *Ocyusae* non minus *Tachysas* simulant quam habitu; palpi labiales fere graciliores sunt quam in hoc genere.

XXXVII. *Oxypoda* Mannerh.

Brachelytr. p. 69.

Obs. Duarum sectionum, quas cel. *Erichson* (Col. March. I. p. 342) in hoc genere condidit, prima tantum, habitu *Tachyporino*, veras *Oxypodas* amplectitur; altera speciebus complurium generum (*Leptusa*, *Ischnoglossa*, *Ocyusa*), habitu non minus quam oris structura ab *Oxypodis* veris diversarum composita est. Sectioni primae immerito subjunctae sunt *O. prospera* Er. et cunctans Er. quae duo nova genera, mandibularum structura valde insignita constituunt. Accedunt ad genus *Oxypoda*: *Homalota procidua* Er. (Col. March.

I. 315. 2) et *Homalota incrassata* *Mulsant* et *Rey* Opusc. Entom. I. 32. 13.
(= *Homalota brevicornis* *Mulsant* et *Rey* Opusc. Entom. I. 28. 10.)

XXXVIII. *Homalota* *Mannerh.*

Brachelytr. p. 73.

Obs. Numerosissimas hujus generis species secundum corporis totius, thoracis et antennarum formam tredecim sectionibus (Ins. Deutschl. II. p. 197) subjunxi, quae uno in conspectu positae hae sunt:

I. *Coleoptera* thorace longiora.

1. Abdomen parallelum.

A. Thorax quadratus seu subquadratus.

- Sectio 1. a. Antennarum articuli omnes latitudine longiores.
Sectio 2. b. Antenn. articuli penultimi 6 longitudine haud aut vix latiores.
Sectio 3. c. - - - - paulo latiores.
Sectio 4. d. - - - - multo latiores.

B. Thorax transversus.

a. Thorax parum transversus.

- Sectio 5. α. Antenn. articuli 6 penultimi longitudine haud aut vix latiores.
Sectio 6. β. - - - - multo latiores.

b. Thorax fortiter transversus.

- Sectio 7. α. Anguli posteriores acutiusculi.
β. Anguli posteriores obtusi.
Sectio 8. αα. Antennarum articuli 6 penultimi longitudine parum latiores.
Sectio 9. ββ. - - - - multo latiores.

2. Abdomen attenuatum.

- Sectio 10. A. Thorax quadratus seu subquadratus.
Sectio 11. B. Thorax transversus.

II. *Coleoptera* thorace longitudine aequalia aut illo breviora.

- Sectio 12. A. Thorax fortiter transversus, corpus crassum, breve.
Sectio 13. B. Thorax longitudine haud aut parum latior.

XXXIX. *Placusa* *Er.*

Col. March. I. p. 370.

Obs. Placusae cum Gyrophacnis una ligulae structura conveniunt, maxillae enim fere omnino ut in genere *Homalota* constructae, palpi labiales quidem biarticulati, articulo primo autem apice tumidulo ut in genere *Phloeodroma*; itaque genus *Placusa* labii structura neque inter *Gyrophacnam* et cetera *Aliochariuorum* genera medium, neque in illius generis vicinia collocandum est; hoc loco inserui, quod *Placusae* habitu nonnullis *Homalotis*, victu generibus subsequentibus affines sunt.

XL. *Phloeopora* Er.

Col. March. I. p. 311.

XLI. *Phlocodroma* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 338.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis ciliata.

Ligula brevis, apice bifida.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo primo apice incrassato, secundo hoc dimidio brevior, tertio subulato.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulis 4 primis aequalibus.

Labrum breviusculum, apice fere truncatum, angulis anterioribus rotundatis. Mandibulae simplices. Maxillarum malae fere ut in genere *Phloeopora* constructae, palpi maxillares breviores, articulo tertio secundo paulo longiore et latiore, articulo quarto praecedentis tertia parte vix brevior, fere cylindrico. Labium mento brevi, apice leviter emarginato, ligula brevi lataque, ad palporum labialium articuli primi apicem usque haud porrecta, apice bifida. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo primo apice incrassato, articulo secundo hoc dimidio brevior et multo angustior, tertio apice acuminato.

Habitu hoc genus intermedium inter genera *Phloeopora* et *Hygronoma*, illo magis deplanatum, hoc paulo magis convexum, illi capite basi constricto, huic punctatura abdominis simile, corpore toto nigro a duobus externe facile dignoscendum. Antennae breviusculae, tenuiores, articulo secundo tertio distincte longior, articulis 4—10 sensim paulo latioribus, posterioribus leviter transversis. Thorax longitudine tertia parte latior, supra deplanatus, medio late minus profunde impressus. Elytra ut in genere *Phloeopora* constructa, abdomen paulo brevius, segmentis basi minus profunde transversim impressis, crebre subtiliter, apice vix minus dense punctatis. Pedes ut in genere *Phloeopora* constructae.

Differentia sexus in abdomine mihi non observata; thorax maribus plerumque profundius impressus.

Victus sub cortice arborum. Patria Germania meridionalis.

Ad hoc genus pertinet:

1. *P. concolor*: Nigra, nitida, parce subtilissime pubescens, antennis pedibusque piceis, thorace subquadrato, depressiusculo, abdomine crebre subtiliter punctato. — Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Kraatz, Ins. Deutschl. II. 340.

Elongata, linearis, depressiuscula, nigra, parce subtilissime pubescens, antennis, pedibus et elytris interdum piceis. Antennae jam supra descriptae basi plerumque paulo dilutiores. Caput majusculum, thoracis latitudine, anterieus attenuatum, oculis modice prominulis, supra subtiliter punctatum, nigrum, nitidum. Thorax longitudine tertia parte latior, coleopteris paulo angustior, posterius attenuatum, anterieus lateribus leviter rotundatus, angulis anterioribus rotundatis, posterioribus obtusis, supra depressiusculus, medio late minus profunde impressus, minus crebre subtiliter punctatus. Elytra thorace tertia parte longiora, crebre minus subtiliter punctata. Abdomen lineare, crebre minus subtiliter punctatum, segmentis anterioribus basi transversim leviter impressis.

Obs. Partibus oris respectis *Phloeodroma* a genere praecedente ligula minus profunde bifida, angulis anterioribus labii productis, palpis maxillaribus brevioribus, praecipue autem palporum labialium articulo primo apice tumidulo facile dignoscenda.

XLII. *Hygronoma* Er.

Col. March. I. p. 312.

Obs. Secundum *Erichsonium* mandibulae hujus generis muticae, re vera autem inaequales sunt, altera ante medium dente obtuso, altera dente paulo acutiore instructa. Ligula ut in generibus subsequen- tibus ad basin usque fissa.

XLIII. *Tomoglossa* Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 342.

Maxillae mala interiore intus summo apice spinulis circiter 6 longioribus ciliata.

Ligula brevis, profunde bifida.

Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo secundo praecedente dimidio brevior.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulis 4 primis sensim longioribus.

Labrum brevissimum, longitudine triplo latius, antice leviter emarginatum, posterius fortius coarctatum, angulis anterioribus rotundatis. Mandibulae graciliores, basi latiores quam in generibus affinis. Maxillae mala interiore margine exteriori corneo, interiore membraneo, intus apice dentibus circiter 8 longioribus, confertim positis munita, infra minus dense subtiliter pu-

bescente. Palpi maxillares validi, breviusculi, articulo tertio secundo paulo longiore, tumidulo, articulo quarto parvo, subulato. Labium mento apice leviter emarginato, ligula brevi, palporum labialium articulo primo dimidio brevior, fere ad basin usque fissa, laciniis paulo distantibus. Palpi labiales distincte 3-articulati, articulo secundo primo dimidio, articulo tertio primo paulo brevior, cylindrico.

Habitus fere minutae Phlocopora, caput idem quod in Oxy-poda genere, basi nullo modo constrictum, magnum, thoracis prope latitudine. Thorax longitudine paulo latius, angulis subrectis. Elytra thorace paulo longiora, confertim minus subtiliter punctata. Abdomen parallelum, longius pubescens, anterieus crebre, posterius vage minus subtiliter punctatum. Tarsi ut in genere Homalota.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus verisimiliter sub cortice arborum. Patria Germania meridionalis.

Ad hoc genus pertinet:

1. *T. (Homalota) luteicornis* Erichs. Col. March. I. 332. 39.

XLIV. Schistoglossa Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 344.

Mandibulae breves, apice bifidae.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis validis circiter 8 ciliata.

Ligula brevis, profunde bifida.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo brevior.

Tarsi antici 4-articulati, posteriores 5-articulati, postici articulis 4 primis longitudine inter se aequalibus.

Labrum longitudine plus duplo latius, apice fere truncatum, angulis rotundatis. Mandibulae satis breves et validi, apice bifidae. Maxillae breves, mala interiore margine exteriori corneo, interiore membraneo, intus apice dentibus 8 validis, minus confertim positae munitae, infra parce breviter pubescente. Palpi maxillares modice elongati, articulo tertio secundo brevior, medio parum latiore, articulo tertio hoc dimidio brevior. Labium angulis anterioribus productis, mento brevi, apice leviter emarginato, ligula fere ut in genere Tomoglossa constructa, brevi, palporum

labialium articulo primo brevior, fere ad basin usque fissa, lacinii paulo distantibus. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo primo dimidio, articulo tertio primo paulo brevior, cylindrico.

Habitus hujus generis fere *Homalotae* et externe difficile ab his dignoscendum, pube subtilissima, subsericea, viridi-micante segmentisque ultimis supra subgranulatis insigne. Antennae modice elongatae articulis 3 primis longitudine inter se aequalibus, 4—10 latitudine haud longioribus, articulo ultimo ovato-acuminato. Caput parvum, suborbiculatum, basi modice constrictum. Thorax coleopteris vix angustior, latitudine dimidio brevior, supra medio leviter longitudinaliter impressus. Elytra hoc parum longiora, abdomen parallelum, tarsi ut in genere *Homalota*.

Mares abdominis segmento sexto crebre subtiliter granulato insignes.

Victus in silvis sub foliis deciduis. Patria Germania, Helvetia.

Ad hoc genus pertinet:

1. *S. (Homalota) viduata* Erichs. Col. March. I. 330. 26.

Obs. Partibus oris respectis hoc genus mandibulis apice bifidis primo intuitu ab omnibus aliis dignoscendum.

XLV. *Oligota* *Mannerh.*

Brachelytr. p. 72.

Obs. Mandibulae in hoc genere aliter quam in affinibus constructae, inaequales, altera externe medio fortius excisa, apice acuminata, altera medio externe parum incisa, apice subbifida.

Subtribus II. Gyrophaenini.

Kraatz *Ins. Deutschl.* II. p. 351.

Maxillarum mala interior externe cornea, interne membranacea, apice rotundata, spinulis brevioribus ciliata.

Palpi maxillares articulo tertio incrassato, quarto hoc parum brevior, subulato.

Oculi fortius prominuli.

XLVI. *Encephalus* *Westwood.*

Guérin *Mag. Zool.* III. cl. IX. t. 69.

Maxillae mala interiore intus membranacea, apice spinulis confertim ciliata, infra haud pubescente.

Ligula brevissima, lata, rotundata.

Palpi labiales biarticulati, articulo secundo dimidio brevior.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Instrumenta cibaria fere omnino ut in genere *Gyrophaena* constructa, sed ligula brevissima, rotundata, labii parte anteriore parum angustior, palpi labiales paulo breviores quam in *Gyrophaenis*; quae differentiae, cum iis qui observantur in habitu antennarumque structura conjunctae, majoris mihi momenti esse videntur quam reliquae notae habituales; quare naturae magis convenire puto insectum generi, a Dom. *Westwood* proposito, quam *Gyrophaenis* subjungere, ut cel. *Erichsonius* l. c. fecit.

Ad hoc genus pertinet:

1. *E. complicans* *Westwood*. *Guérin* Mag. Zool. III. cl. IX. 1. 69.

— *Steph.* Illustr. V. t. 26. f. 4.

Gyrophaena complicans *Erichs.* Col. March. 1. 366. 1.

XLVII. *Gyrophaena Mannerh.*

Brachelytr. p. 74.

Obs. Maxillarum structura in hoc genere secundum *Erichsonium* (Gen. et Spec. p. 183) eadem quae in *Homalota*, me iudice, longe alia est. Maxillarum mala interior enim multo brevior neque apice spinulis longioribus ciliata neque infra pubescens, sed apice rotundata, spinulis multis brevibus confertim ciliata, infra limbo membranaceo, parce piloso instructa. Palpi maxillares satis breves, articulo tertio incrassato, secundo multo latiore, quarto tenui, subulato. Eandem maxillarum structuram inveni in praecedente et in genere subsequente, praeterea autem in nullo alio Aleocharinarum genere; verum non solum oris partibus respectis, sed multo magis habitu peculiari, corpore latiusculo, capite deflexo, thorace marginato, oculis prominulis, abdomine late marginato pedumque structura tria *Gyrophaeninarum* genera inter se similia sunt et affinia, ceteris Aleocharinis contra dissimilia.

XLVIII. *Agaricochara Kraatz.*

Ins. Deutschl. II. p. 361.

Maxillae mala interiore intus membranacea, apice spinulis brevibus confertim ciliata.

Ligula brevis, bifida, laciniis acuminatis.

Palpi labiales biarticulati, articulo secundo dimidio brevior.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum angustius, posterius magis coarctatum quam in genere *Gyrophæna*; mandibulae etiam apicem versus tenuiores, magis incurvatae, maxillae mala interiore apice spinulis tenuioribus ciliata, palpi maxillares articulo secundo angustiore. Labium angulis anterioribus paulo productis, ligula brevi, ad medium usque fissa, laciniis acuminatis, paulo divergentibus. Palpi labiales biarticulati, articulo primo brevior et validior, secundo haud longior quam in *Gyrophænis* ejusdem magnitudinis.

Habitus hujus generis ut in parva *Gyrophæna*, sed antennae comparate longiores, articulis 6 penultimis longitudine parum latioribus, thorax brevior, elytra longiora. Abdomen et pedes ut in genere *Gyrophæna* constructa.

Differentia sexus mihi non observata.

Victus in boletis. Patria Germania.

Ad hoc genus pertinet:

1. *A. laevicollis*: Nigro-picea, nitidula, subtiliter sericeo-pubescent, antennarum basi pedibusque testaceis, thorace impunctato, rufobrunneo, elytris fusco-testaceis, angulis apicis externae fuscis, abdomine laevigato. — Long. $\frac{1}{2}$ lin.

Gyrophæna laevicollis Kraatz Stett. Ent. Zeit. XV. 186. 6.

Gyrophæna boleti vix longior sed latior, parum nitida, nigro-picea, thorace antennisque fuscis, elytris fusco-testaceis, angulis apicis externis picescentibus. Antennae capite thoraceque longiores, fuscae, basi testaceae, articulo quarto sequentibus paulo angustiore, quadrato, articulis 6 penultimis longitudine vix latioribus. Caput thorace paulo angustius, glabrum, nigropiceum, ore brunneo. Thorax brevis, coleopteris angustior, longitudine plus duplo latior, lateribus parum basi fortius rotundatum et marginatum, angulis anterioribus subrectis, deflexis, posterioribus rotundatis, supra impunctatum, pubescentia tenuissima, brevi, fere nulla. Elytra thorace dimidio longiora, crebre subtiliter obsolete punctata. Abdomen laeve, subnitidum, parcius pilosum. Pedes testacei.

Prope Heidelbergam in boletis a me ipso, prope Aquisgranum a Dom. Förster collecta.

Subtribus III. Gymnusini Kraatz.

Ins. Deutschl. II. p. 363.

Maxillarum mala interior elongata, tota cornea, apice uncinata, intus serrata.

Palpi maxillares articulo secundo tertioque valde elongatis, quarto minimo seu omnino nullo.

Oculi vix prominuli.

XLIX. *Pronomaea Erichs.*

Col. March. I. p. 378.

Obs. Ligula in *Erichsonii* hujus insecti praeparatu solo fortuito sub mento occulta fuit, quod neque majus quam in generibus affinis est, neque semper ligulam occultat ut ait *Erichsonius* Gen. et Spec. Staph. p. 208. Pars labii, mento affixa, haud minus elongata et retractabilis quam in genere *Myllaena*. — Palpi labiales setacei et quantum observavi, biarticulati, articulo primo secundo duplo fere longiore. Paraglossae distinctae, labii partem anteriorem haud excedentes.

L. *Diglossa Haliday.*

Entomol. Mag. IV. p. 252.

Obs. Labrum longitudine vix latius, parte antica membranacea medio semicirculatim producta, semicirculo appendicibus duobus minutis, acuminatis instructo. Labium angulis anterioribus productis, mento leviter emarginato, ligula modice elongata, apicem versus sensim acuminata. Palpi labiales biarticulati, articulo primo sat elongato, secundo duplo fere longiore, hoc subbiarticulato.

LI. *Myllaena Erichs.*

Col. March. I. p. 382.

Obs. Palpi labiales biarticulati, articulo primo secundo duplo fere longiore.

Speciei americanae (Louisiana), a Dom. *Schaum* benevole communicatae, descriptionem addo, quod hoc genus in catalogo *Melsheimeri* (Catalogue of the described coleoptera of the United States, Washington 1853) nondum enumeratum est.

M. fuscipennis: Nigra, opaca, cinereo-sericea, antennis elytrisque totis aut his apice fusciscentibus, pedibus testaceis, thoracis angulis posticis subrectis. — Long. $\frac{3}{4}$ lin.

Myllaena intermediae *Erichson* (Col. March. I. 383. 2.) valde similis et affinis, minoribus ejus individuis magnitudine aequalis. Antennae paulo breviores, fuscae, articulo primo flavo.

Os flavum. Thorax in specie jam nominata fere idem qui, angulis posterioribus autem paulo magis productis, fere reetis. Elytra thorace vix longiora, aut tota aut apice tantum fusciscentia. Abdomen apice rufo-testaceum.

LII. *Gymnusa Karsten.*

Grav. Mon. p. 173.

Obs. Palpi labiales distincte triarticulati, articulo primo sat magno, duobus sequentibus brevissimis.

LIII. *Dinopsis Matthews.*

Entomol. Mag. V. p. 193.

Mandibulae tridentatae.

Maxillae malis elongatis, interiore cornea, apice uncinata, intus dentibus nonnullis inaequalibus validis munita.

Ligula sat magna, bifida, laciniis longitudine palpis fere aequalibus.

Palpi labiales validi, triarticulati, articulo primo maximo, duobus sequentibus plus triplo longiore, ultimo minimo, acuminato.

Tarsi omnes triarticulati.

Labrum longitudine plus duplo latius, antice et lateribus leviter rotundatum. Mandibulae elongatae, acute tridentatae, dente altero apicali, duobus alteris ante apicem sitis, margine interno infra dentes membranula interne acute denticulata fimbriato. Maxillae mala utraque cornea, sat elongata, interiore cultriformi, margine interiore spinulis duobus validioribus ante medium et nonnullis brevibus confertim positis ante apicem instructo, mala exteriore ad basin sinuato-excisa, apice setulis duabus barbulaque introrsum vergente terminata. Palpi maxillares valde elongati, tenuiores, triarticulati, articulo tertio secundo paulo brevior, apice leviter rotundato. Labium mento sat magno, apice profunde emarginato, ligula sat magna lataque, labii parte anteriore paulo tantum angustiore, ad medium usque fissa, palporum labialium articulo primo longitudine aequali, laciniis apicem versus angustatis, apice obtusis.

Palpi labiales triarticulati, articulo primo maximo, secundo plus triplo longiore et latiore, articulo tertio minimo, subulato.

Habitus Myllaenae, sed statura majore, pube densa, sericante vestita. Antennae filiformes, tenues, articulo secundo longissimo. Caput breve, thorax paulo brevior et latior quam in genere Myllaena, hic angulis posterioribus retrorsum prominulis. Abdomen apicem versus fortiter acuminatum. Pedes breves, tarsi omnes triarticulati, articulo tertio duobus praecedentibus conjunctim longitudine aequali.

Mas abdominis segmento septimo infero medio exciso insignis.

Victus in locis humidis. Patria Germania, Gallia.

Obs. Cel. *Erichsonius* (Genera et Spec. Staphyl. p. 919) pro certo affirmat, Dominum *Matthews* l. c. palpos maxillares tarsosque generis *Deinopsis* perperam triarticulatos exhibuisse, quare genus *Deinopsis* esse delendum. Reiterato cibariarum partium pedumque examine, Dominum *Matthews* recte vidisse persuasum mihi est. Labium, palpis et ligulae lacinis perditis, a Dom. *Matthews* mutilatum delineatum, ligula latissima non minus quam palporum labialium articulo primo maximo sat insigne.

Ad hoc genus pertinent:

1. *D. fuscatus* *Matthews* Ent. Mag. V. p. 193.

Gymnusa laticollis *Erichs.* Gen. et Spec. Staphyl. 212, 2.

2. *D. americanus*: Niger, subopacus, dense cinereo-sericeus, pedibus luteo-fuscis, antennis, palpis, tarsis geniculisque testaceis. — Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

A Dom. *Schaum* in Louisiana captus.

Minoribus praecedentis individuus magnitudine aequalis, paulo latior, magis depressus, minus confertim subtilissime punctulatus ideoque fere nitidulus, pube tenuissima cinereo-sericea vestitus. Antennae ut in *D. fuscato* constructae, paulo tenuiores, testaceae. Thorax coleopteris paulo latior, longitudine plus duplo latior, basi bisinuatus, angulis posterioribus retrorsum prominulis, supra parum convexus. Elytra thorace longiora, sutura rufescente.

3. *D. myllaenoides*: Niger, opacus, cinereo-sericeus, antennis pedibusque testaceis, thoracis angulis retrorsum prominulis, elytris hoc paulo brevioribus. — Long. 1 lin.

A Dom. *Schaum* in Louisiana (Novi Aureliani) captus.

Myllaena intermedia fere angustior et magis elongatus, niger, opacus, cinereo-sericeus, totus confertissime subtilissimeque punctulatus, antennis filiformibus pedibusque testaceis. Caput deflexum. Thorax coleopteris paulo latior, longitudine duplo latior, basi bisinuatus, angulis posterioribus rectis, retrorsum prominulis. Elytra thorace paulo breviora. Abdomen longiusculum, segmento sexto apice plerumque fusco.

A d d e n d a.

Opusculo jam confecto genera duo nova a Dom. *Schaum* et *Nietner* communicata sunt:

VI — VII. Schistogenia.

Maxillae elongatae, angustae, mala inferiore cornea, intus apice subserrata, medio spinulis nonnullis longioribus ciliata.

Labium mento medio profunde inciso.

Ligula brevis, integra, apice subemarginata.

Palpi labiales biarticulati, articulis elongatis.

Tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum leviter transversum, apice truncatum. Mandibulae breviusculae, simplices. Maxillae ut in genere *Stenusa* constructae, mala inferiore tota cornea. Palpi maxillares articulo tertio secundo paulo longiore et medio latiore, quarto minuto, subulato. Labium mento majusculo, latitudine fere longiore, apice medio profunde inciso, lateribus leviter bisinuato, ligula brevi, palporum labialium articuli primi medium vix attingente, integra, latiuscula, parallela, apice subemarginata. Palpi labiales similiter ut in genere *Stenusa* constructi, sed breviores, biarticulati, articulo primo secundo dimidio longiore.

Corpus oblongum, latiusculum, depressum, opacum, pubescentia fere nulla. Antennae capite thoraceque vix longiores, articulis 1—3 latitudine duplo fere longioribus inter se subaequalibus, quarto quadrato, 5—10 transversis, ultimo duobus praecedentibus longitudine vix aequali, apice subacuminato. Caput porrectum, breve, insertum, thorace angustius, oculis parum prominulis. Thorax coleopterorum latitudine, longitudine duplo latior, antrorsum angustatus, basi utrinque sinuatus, medio retrorsum parum productus, apice truncatus, angulis anterioribus subrectis, parum deflexis, angulis posterioribus rectis, lateribus crenulatus, supra basi utrinque leviter impressus. Elytra thoracis longitudine, apice truncata, ad angulum exteriorem leviter emarginata.

Abdomen apicem versus vix attenuatum, segmentis anterioribus basi longitudinaliter impressis, impressionibus pliculis circiter 10 munitis.

Pedes breviusculi, tarsi antici 4-, posteriores 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Victus in nidis termitum.

Patria insula Ceylon.

Obs. Habitus corporis fere idem qui in *Euryasis*, corpus autem posterius sensim attenuatum est; punctatura praeterea et thoracis angulis rectis lateribusque crenulatis hoc genus ab illis et omnibus aliis *Alcocharinis* facile distinguendum. Palpi labiales iis generis *Silusae* maxime affines, articuli autem breviores.

Singula hujus generis species adhuc cognita est:

1. *Sch. crenicollis*: Tota rufo-brunnea, opaca, parte anteriore corporis crebre fortius rugulose, posteriore creberrime subtiliter punctata, thorace depresso lateribus subtiliter crenulato, medio late obsolete caudiculato, utrinque leviter impresso, angulis posticis rectis. — Long. $1\frac{1}{4}$ lin.

Habitus corporis jam supra descriptus. Caput interdum picescens, ore testaceo, sicuti thorax et elytra crebre fortius rugulose punctatum, pubescentia brevissima, sericea. Abdomen creberrime subtiliter punctatum, apice testaceum, segmento quinto basi interdum picescente. Pedes rufo-testacei.

XVI—XVII. *Myrmecochara*.

Maxillae mala interiore intus apice spinulis nonnullis ciliata, subtus parce pubescente.

Ligula brevis, sensim attenuata, apice fissa.

Palpi labiales distincte triarticulati, articulo secundo includentibus minore.

Tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo elongato.

Labrum leviter transversum, truncatum. Mandibulae simplices. Maxillae fere ut in genere *Homoeusa* constructae, mala interiore margine exteriori corneo, interiore apice spinulis nonnullis ciliata, subtus parce minus subtiliter pubescente. Palpi maxillares articulo tertio secundo tertia fere parte longiore, quarto minuto, subulato. Labrum mento apice late emarginato, ligula brevi, ad palporum labialium articuli secundi apicem usque porrecta, basi latiore, apice fissa, paraglossis distinctis, haud promi-

mentibus. Palpi labiales distincte 3-articulati, articulis singulis praecedentibus distincte angustioribus, secundo includentibus brevioribus.

Corpus latiusculum, alatum, apicem versus attenuatum. Antennae tenues, articulis 2 et 3 ceteris longioribus, 4—10 longitudine decreascentibus, primis crassitie distincte, ultimis parum longioribus, articulo ultimo duobus sequentibus longitudine aequali, acuminato. Caput parvum, transversum, insertum, oculis parum prominulis. Thorax coleopteris sublatis, longitudine fere triplo latis, lateribus et basi leviter rotundatus, angulis omnibus rotundatis, apice leviter emarginatus, supra parum convexus. Elytra thorace fere breviora, apice truncata, ad angulum anteriorem leviter emarginata. Abdomen apicem versus sensim angustatum, supra planiusculum. Pedes minus graciles, tarsi omnes 5-articulati, postici articulo primo paulo elongato.


Victus in nidis termitum. Patria Louisiana (Dom. *Schaum*).

Obs. Generi *Homocusa* maxime affinis, sed multo minor, antennis gracilibus thoracisque angulis rotundatis facile distinguenda; palpi labiales ut in hoc genere constructi, ligula autem, ut in genere *Aleochara*, apice fissa, sensim angustata.

Ad hoc genus pertinet:

1. *M. pictipennis*: Fusca, creberrime subtilissime punctulata et pubescens, nitidula, thorace marginibus, elytris angulis posteribus externis abdomineque basi apiceque fusco-testaceis, antennis pedibusque testaceis, thorace fortiter transverso, angulis omnibus rotundatis, elytris hoc fere brevioribus, abdomine acuminato. — Long. $\frac{3}{4}$ lin.

Habitus corporis jam supra descriptus. Caput, thorax et elytra aequae subtilissime confertissime punctulata et pubescentia, lateribus pilis nonnullis longioribus, nigris munita. Elytra nigro-fusca ad angulum anteriorem posteriorem lacte testacea, sutura interdum rufescente. Abdomen creberrime subtilissime punctatum, fusco-piceum, basi apiceque fusco-testaceum. Pedes testacei.



Explicatio tabularum.

Tab. I.

- Fig. 1. Autaliae (impressae) labium.
 - 2. Falagriae (obscurae) labium.
 - 3. Phytosi (nigriventris) labium.
 - 4. Bolitocharae (lunulatae) labium.
 - 5. Silusae (rubiginosae) labium, a) mentum, b) palpus maxillaris.
 - 5. Stenusae (rubrae) α mentum, β) palp. max., γ) ligula.
 - 6. Hoplopterae (umbrinae) labium.
 - 7. Ocaleae (castaneae) labium.
 - 8. Stenoglossae (semirufae) labium, a) palpus maxillaris.
 - 9. Thiasophilae (angulatae) labium, a) palpus maxillaris.
 - 9. Ischnoglossae (rufopiceae) α) palpus maxillaris, β) ligula.
 - 10. Leptusae (analae) labium.
 - 11. Philoternutis (pilosae) labium, a) palpus maxillaris.
 - 12. Homoeusae (acuminatae) labium, partibus singulis retractis.
 - 13. Haploglossae (gentilis) labium, partibus singulis retractis.
 - 14. Oxytomis (Schaumii) labii pars anterior, a) palpus maxillaris.
 - 15. Aleocharae (lanuginosae) labium, a) palpus maxillaris.
 - 16. Dinardae (Maerkelii) labium, a) palpus maxillaris.
 - 17. Lomechusae (strumosae) labium, a) palpus maxillaris.
 - 18. Atemelis (paradoxi) labium, a) palpus maxillaris.
 - 19. Pori (Gehraci) labii pars anterior.
 - 20. Myrmedoniae (funestae) labium.
 - 21. Dasyglossae (prosperae) labium.
 - 22. Hygroporae (cunctantis) labium, a) maxilla, b) palpus maxillaris.
 - 23. Ilyobatis (forticornis) labium, a) - b) - -
 - 24. Caloderae (nigritae) labium, a) - b) - -
 - 25. Chiloporae (longitarsis) labium, a) - b) - -
 - 26. Calliceri (obscuri) labii pars anterior, a) palpus maxillaris.
 - 27. Tachysusae (scitulae) - - -
 - 28. Ocyusae (maurae) - - -
 - 29. Oxypodae (opacae) - - -


- Fig. 30. Homalotae (longicornis) labii pars anterior.
- 31. Placensae (infimae) - - -
 - 32. Phloeopora (reptantis) - - -
 - 33. Phloeodromae (concoloris) labii pars anterior.
 - 34. Hygronomae (dimidiatae) - - -
 - 35. Tomoglossae (luteipedis) - - - a) labrum.
 - 36. Schistoglossae (viduatae) labii pars ant., a) maxilla, b) palp. max.
 - 37. Oligotae (apicatae) labii pars anterior, a) palpus maxillaris.
 - 38. Encephali (complicantis) labii pars anterior, a) palpus maxillaris.
 - 39. Gyrophaenae (maueae) et a) pulchellae labii pars anterior.
 - 40. Agaricocharae (laevicollis) labii pars anterior.

Tab. II.

- Fig. 1. Homalotae (longicornis) mandibula.
- 2. Dasyglossae (prosperae) mandibula.
 - 3. Schistoglossae (viduatae) mandibula.
 - 4. Tomoglossae (luteipedis) mandibulae.
 - 5. Oligotae (apicatae) mandibulae.
 - 6. Pronomaeae (rostratae) labium, a) labrum, b) palp. max.
 - 7. Diglossae (mersae) labium, a) labrum, b) mandib., c) palp. max., d) pes.
 - 8. Myllaenae (dubiae) labium, a) labrum, b) mandib., c) palp. max.
 - 9. Gymnusae (brevicollis) labium, a) mandib., b) maxilla, c) palp. max.
 - 10. Dinopsis (laticollis) labium, a) mandib., b) maxilla, c) palp. max., d) pes.
 - 11. Phloedroma concolor *Kraatz*.
 - 12. Oxysona Schaumi *Kraatz*.
 - 13. Philoterme pilosus *Kraatz*.
 - 14. Hoplandria umbrina *Kraatz*.







ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Linnaea Entomologica](#)

Jahr/Year: 1857

Band/Volume: [11](#)

Autor(en)/Author(s): Kraatz Gustav

Artikel/Article: [Genera Aleocharinorum illustrata 1-43](#)